



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Quidditate, & conditionibus Confessionis Sacramentalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

& potest huic periculo occurri, si mutus vel in una papyro scribat peccata, & in altera numerum, vel indicet in libro aliquo peccata, quæ commisit, addendo numerum illorum gestibus, &c. Quod si mutus ne per scripturam quidem possit confiteri, tenetur confiteri per signa, etiamsi confessarius per huiusmodi signa nullum peccatum in specie intelligere possit, nec alius confessor adsit, qui ea melius intelligat. An autem possit huiusmodi mutus extra tempus præcepti sic confiteri? Affirmat probabiliter Leand. quæst. 19. quia si valide potest absolvi semel in anno, ut omnes fatentur, æquum non est, ut tamdiu cogatur carere gratia Sacramentali sine propria culpa.

Ex dictis habes, Pœnitentem ab hoc præcepto excusari solum, quando datur impossibilitas, vel physica, ut si nequeat haberi confessarius; vel moralis, ut si non possit confiteri sine gravi periculo infamationis, aut alterius gravis damni: Sicut enim hæc excusant ab integritate materiali confessionis; ita excusant simpliciter a confessione, quando oritur periculum ab ipsa confessione: Ubi etiam advertendum, periculum infamiæ, quod a confessione excusat, debere esse ipsi confessioni extrinsecum; etenim incommoda confessioni intrinseca non deobligant, ut quod Confessarius, qui habebat pœnitentem pro timorato, deinde habeat illum pro magno peccatore, aut quod nimium erubescat, &c.; Aliter solum publici peccatores, & impudentes tenerentur confiteri.

ARTICULUS IV.

De quidditate, & conditionibus Confessionis Sacramentalis.

- I. *Quid veniat nomine Confessionis, quæ præcipitur?*
- II. *Num possit pœnitens confiteri exhibendo papyrum, in qua scripta sint omnia peccata commissa?*
- III. *Sexdecim conditiones ab antiquis Theologis requiruntur, ut quis a peccate confiteatur.*
- IV. *Quodnam mendacium in confessione prolatum sit mortale?*
- V. *Num sit mortale, unum individuum peccati fateri pro alio eiusdem speciei?*

I. **E**xplicatis præceptis ad confessionem pertinentibus, oportet ejus naturam, & qualitates explicare.

Quæritur itaque primo; quænam sit confessio Sacramentalis præcepta?

Respondeo, ex D. Th. & aliis communiter esse *Legitimam accusationem propriorum peccatorum coram sacerdote habente jurisdictionem, ad illorum veniam virtute clavium obtinendam per absolutionem*. Brevius confessio definitur, *Accusatio de propriis peccatis*. Unde patet, non satis esse peccatorum narrationem, licet possit aliquis, postquam historice sua peccata narravit, de illis in confuso se accusare in ordine ad absolutionem Sacramentalem.

Ex hoc autem quod accusatio ista fieri debeat homini confessario, sequitur, quod debeat fieri signis sensibilibus, & ex consuetudine Ecclesie graviter obligante fieri debet voce per se loquendo; unde verificetur illud Apostoli, *Ore sit confessio ad salutem*. & ideo Florentinum vocat illam, *Oris confessionem*.

Di.

Dixi, juxta consuetudinem Ecclesiae; nam, ut notat Suar. disp. 21. sect. 2. hac de re nullum extat praeceptum, neque divinum, neque humanum.

Dixi etiam, per se loquendo, quia mutus, & sensibus destitutus potest etiam aliis signis confiteri.

II. Palaeus putat, etiam extra necessitatem, ut facilius peccata explicentur, non esse illicitum Sacerdoti afferre scripta propria peccata; & postquam illa legerit, de illis in genere se accusare petendo absolutionem; quia talis confessio non censetur facta scripto, sed verbis. Certe si peccata scripta tu legas coram confessario, sine dubio licitum est sic ea confiteri. Quod si legat illa Confessarius, & tu tantum de illis in genere te accuses, admittit etiam fieri posse Leander disp. 5. quaest. 26.: Navar. tamen, & alii communiter putant, id esse mortale: Villalob. relatus a Dian. part. 3. tract. 4. resol. 127., & Leand. in compendio disp. 6. num. 4. putant, esse veniale extra casum necessitatis; Equidem censeo cum Lug., Suar., Vasq., id tantum licitum esse ex rationabili causa, verbi gratia, quando puella praemagna verecundia aegre potest verbis sua peccata explicare; vel si agrotus praem gutturi angore, aut ex defectu vocis, aut ob surditatem Confessarii non potest facile confiteri voce.

III. Quaeritur secundo; quanam sint conditiones bonae Confessionis?

Respondeo, sexdecim ab antiquis Theologis numerari, quae his versibus comprehenduntur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,

Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,

Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,

Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Part. VI.

Primo itaque debet esse simplex, hoc est, ut ea tantum explicentur, quae pertinent ad peccati quantitatem, & qualitatem manifestandam, rejectis prolixis narrationibus, & praemambulis.

Secundo, Humilis, etiam in gestu, & habitu externo, puta flexo utroque genu, sine chirothecis, sine ense, nisi poenitens sit Religiosus militaris; quavis veniale tantum sit ea omittere ob levem irreverentiam Sacramento.

Tertio, Pura, scilicet ex puro, & recto fine obtinendi gratiam Sacramentalem, non ob vanam gloriam, aut ob alium finem extrinsecum malum.

Quarto, Fidelis, hoc est absque mendacio.

Quinto, Frequens, ob uberes ejus fructus.

Sexto, Nuda, hoc est non palliata coloribus obscurantibus veritatem, & peccati gravitatem.

Septimo, Discreta, primo in verbis, utendo vocabulis honestis; Deinde in modo, discernendo peccata, & explicando ut diversa, quae sunt diversa; Denique sit discreta relate ad Confessarium, eligendo illum doctum, pium, & idoneum.

Octavo, Libens, idest spontanea; licet qui importunis precibus, vel metu mortis ad Confessionem impellitur, non frustretur fructu Sacramenti.

Nono, Verecunda, seu cum pudore de foeditate peccati, & offensa Dei: Unde monet Sylvester, non expedire, ut foemina confiteatur cum confessario, cum quo peccavit.

Decimo, Integra, hoc est integre explicando species, & numerum peccatorum, ut fuisse dicemus quaest. sequenti.

Undecimo, Secreta, seu Auricularis: licet enim non sit contra Christi institutionem, si quis publice confitea-

L. fita-

fiteatur, id tamen raro expedit, & sine rationabili causa fieri non debet; quia est contra consuetudinem Ecclesiae, & ut supra diximus, in Cap. *Omnis utriusque sexus* dicitur, quod teneatur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti.

Duodecimo, Lactymabilis, hoc est cum dolore.

Decimotertio, Fortis, seu firma in proposito, & ne timore, aut pudore aliquod peccatum taceatur.

Decimoquarto, Accusans, id est non excusans culpas.

Decimoquinto, Accelerata, hoc est non longe dilata post peccatum.

Demum, Parere parata, tum ad manifestanda ea, quae prudens Confessarius judicaverit necessaria, tum ad exequenda ea, quae confessarius iusserit.

IV. Queritur hic tertio; An mentiri in confessione sit mortale?

Respondeo, multipliciter posse accidere casum; Primo enim posset quis mentiri in confessione circa aliquid nullo modo pertinens ad Confessionem; Et hoc Peccatum est, veniale, vel mortale, prout est ejus materia; Et circumstantia isthaec, quod mendacium dicatur in Confessione, nullo pacto reddit illud mortale: Etenim proprie loquendo, hic non mentitur in Confessione, cum non mentiatur in materia Confessionis; quia tamen est aliqua irreverentia Sacramento mentiri, dum illud suscipitur, ideo haec irreverentia est levis, & venialis.

Secundo potest accidere, ut quis mentiatur in materia Confessionis; & hoc quinque modis; Primo, negando se fecisse aliquod veniale, quod fecit; Secundo, negando se fecisse aliquod mortale, quod fecit quidem, sed non tenetur hic, & nunc confiteri. Tertio confitendo aliquod veniale, quod non fecit; Quarto, confitendo aliquod mor-

tale, quod non fecit; Quinto, negando aliquod mortale, quod fecit, & tenetur confiteri. Qui primo, aut secundo modo mentitur, peccat tantum venialiter, ex Suar., Sot., Navar., & aliis; quia hoc mendacium nulli alteri nocet, nec est contra jus Confessarii, qui nequit exigere, ut penitens confiteatur venialia, aut mortalia alias confessa, & absolutata, aut quae non tenetur confiteri, quamvis teneatur aliquando penitens respondere de peccatis praeteritis, si ea notitia conferat ad iudicium Sacramentale rite formandum, & ut melius possint vulnera poenitentis a Confessario curari.

Si tertio modo Poenitens confiteatur solum aliquod veniale, quod non fecit, nec aliud peccatum confiteatur, tale mendacium erit peccatum mortale; cum reddat Sacramentum nullum: Si vero cum venialibus commissis confiteatur alia venialia non commissa, probabilius ex Suar. tale mendacium est veniale, quia Sacramentum est validum, nec forma absolutoria simpliciter falsificatur, esto falsificetur relate ad illa venialia non commissa; quod censetur a Suar. levis tantum irreverentia.

Demum, qui quarto, vel quinto modo mentitur in confessione, juxta communem Doctorum peccat mortaliter, quia decipit iudicem in re gravi.

V. Dubium est, An sit grave mendacium unum numero mortale fateri pro alio ejusdem speciei; Verbi gratia, si quis occidit Petrum, & dicat, se occidisse Paulum, ut Petri occisionem celet; vel si peccavit cum Berta, & dicat peccasse cum Antonia? Aliqui cum Moja probabiliter negant esse mendacium grave, quia vere fatetur substantiam peccati, & materialiter se habet homicidium relate ad Petrum, vel Paulum; sicuti furtum decem aureorum, sive fuerit ex moneta argentea,

rea, sive aurea. Alii vero cum Vasq., Lug., Tambur., dicunt esse grave; quia in tali casu non fateretur peccatum quod fecit, sed quod non fecit.

Demum adverto, quod si quis ex ignorantia confessus sit peccatum pure putatum, & deinde deprehendat

vere non esse commissum, aut si confessus sit, se peccasse decies, & deinde deprehendat, bis tantum peccasse, non tenetur in nova confessione id aperire, quia, ut ait Bonac., hoc non esset se accusare, sed excusare. Et hæc satis de hac questione.

QUÆSTIO V.

De integritate Confessionis.

SEorsim de hac conditione agendum, quoniam plura scitu digna ea continent. Et primo quæremus, quid sit integritas materialis, quid formalis? & quanam diligentia examinis requiratur, ut fiat integra Confessio? Secundo agemus de integritate Confessionis ex parte circumstantiarum, ubi examinabimus specialia dubia circa singulas circumstantias. Postmodum de integritate quoad numerum peccatorum; Tum de causis excusantibus ab integritate materiali. Demum quando, & quomodo repetenda sit Confessio?

ARTICULUS I.

De diligentia examinis ad integritatem confessionis requisita.

- I. *Quid sit confessio materialiter, quid formaliter integra?*
- II. *Non excusatur ab integritate materiali confessio, qui culpabiliter negligit examen diligens.*
- III. *Unde dignosci soleat, an examen fuerit diligens, necne?*
- IV. *Quandonam repetenda confessio, qua ex defectu examinis diligens non fuit materialiter integra?*
- V. *Num sint audiendi Rustici, qui sine pravio examine ad confessionem accedunt?*

I. Certum est primo, Confessionem Sacramentalem dupliciter posse esse integram, materialiter, & formaliter. Habet Confessio inte-

gritatem materiale, quando omnia peccata post Baptismum commissa, & alias non rite confessã, cum suis circumstantiis, saltem mutantibus speciem, uni, eidemque confessario aperiuntur: Habet vero integritatem formalem, quando habet omnia requisita ad validitatem, & formam Sacramenti, quamvis non aperiuntur in ea omnia peccata, quia iusta de causa possunt aliqua reticeri: Plurimi enim casus dantur, in quibus adeit iusta excusatio non aperiendi uni, eidemque Confessario omnia peccata, & consequenter non faciendi confessionem integram materialiter, hoc est integram quoad totam materiam remotam peccatorum; sed eam dimidiandi, confitendo aliqua uni, aliqua alteri confessario.

Certum est secundo, confessionem Sacramentalem debere esse, per se loquendo, materialiter integram. Quod constat, tum ex institutione hujus Sacramenti facta per modum iudicii;

L 2 quo-